



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XIII. Hortatur ad considerationem mysterij Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

omnium regum Amorrhæorum, qui transitum vestrum in terram fidelissimæ promissionis impedire conantur. Pugnate pro æterna laude mea, & salute vestra: & ego coram vobis omnes inimicos vestros humiliabo.

CAP. XIII.

Hortatur ad considerationem mysterij Incarnationis.

AMANT homines nouitatem, & rerum nouarum studio delectantur: & tamen cum nouum fecerit Dominus super terram, quando foemina circumdedit virum, pauci sunt, qui nouum hoc, & mirabile mysterium dignè considerent. Non placet mihi filij mei obliuio hæc, & nimis dura ingratitude: quia & gloriæ meæ, & saluti, consolationique vestræ contraria est. Ego posui homines in dulcissimo memoriali nominis mei, vt illorum Deus nominarer: & cum in forma Dei essem, ex altitudine illa infinita descendi, vt factus homo, essem amantissimus frater, & amicus vester: quo certè beneficio vos conditione fragiles Angelicis spiri-

spiritibus anteposui. Nusquam enim Angelos apprehendi, sed semen Abrahæ apprehendi, placuitque æterno Patri meo, vt vobis potiùs quàm supremis creaturis assimilarer. Hoc est Verbum breuiatum, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, ad inenarrabilem gloriam, & consolationem vestram; vt exultetis spe confortij mei tanquam primogeniti, & amantissimi fratris vestri. Quid timetis fratres mei dilectissimi, Verbum, quod erat in principio apud Deum, caro vestra factum est: quid superest, nisi, vt hospitio delectabili, habitet in vobis, tanquam in optatissima requie sua? Ego sum frater vester, filius hominis, sitim, & famem, calorē & frigus, & alia multa mala vestri causa passus: confidite, & diligite me: nequē enim fratribus meis quicquam negabo. Utinam agnosceretis dignitatem vestram, & mihi per omnia similes conuersatione vitæ efficeremini, casti, humiles, mites, misericordes, & cælestium bonorum æstimatores. Habetis stimulum amoris, ex quo non horruì Virginis vterum, vt
canti

tanti mysterij non ignari, miremini, &
 dilatemini, & exultetis consortio In-
 carnationis meæ. Habet filia Sion Regē
 mansuetum, non in curribus, & equis
 gloriantem, sed benignitate, & mise-
 ricordia magnum, diuitem in omnes,
 qui inuocant illum. Accedite cum fidu-
 cia ad thronum gratiæ meæ, non for-
 midantes Maiestatem Dei absconditi,
 & operti velamento humanitatis ve-
 stræ. Ego enim sum princeps pacis, fa-
 ciens vtraque vnum, delens, quod ad-
 uersum vos erat chirographum de-
 creti, dissoluens vincula colli vestri. E-
 go Emmanuel semper vobiscum in fæ-
 dere amoris æterni permansurus, pro-
 tegam vos: & (si me non respuatis) in
 omni aduersitate, & prosperitate ha-
 bebo vos, tanquàm dulcissimos fratres
 meos.

CAP. XIV.

Hortatur ad æstimationem redemptionis.

CONSIDERATE filij, quæ
 moneo, & in cordis centro
 verba mea conseruate. Non bonis
 corruptilibus, auro nempe, & ar-
 gento